



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCXXXIII. Ioannis Papae VIII. Ad Ioannem Episcopvm Ticinensem.  
Praecipit, vt ecclesiam in Carpana villa sitam, quam Paulus Regiensis  
episcopus reficere neglexerat, restituat, ibique ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

EPISTOLA CCXXXII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD PAVLVM EPISCOPVM.

Iubet ecclesiam in villa Carpana sitam restitui, ibique  
sacerdotem constitui, & sacrum chrisma  
annuatim in eamdem mitti.

*Reuerendissimo & sanctissimo Paulo episcopo sanctæ ecclesiæ  
Regiensis.*

**D**ILECTIONI TUÆ VENERANDIS SANCTORUM PATRUM REGULIS  
EDOCTÆ MANDAMUS, ATQUE HIS PRÆSULATUS NOSTRI LITERIS  
IUBEMUS, VT ECCLESIAM DEI POSITAM IN VILLA CARPANA,  
IAM NUPER INCENDIO CREMATAM RESTAURES, ATQUE IN PRISTINUM  
DECOREM, & ORDINEM RESTITUERE NULLATENUS PRÄTER-  
MITTAS, ATQUE SUB PROPRII CURA SACERDOTIS EAM CONSTITUAS,  
QUI SEDULAS IBI DOMINO LADES QUOTIDIE PERSOLUAT, AC PRO  
SALUTE FIDELIUM OMNIPOTENTEM DOMINUM VALEAT EXORARE,  
SACRUMQUE ILLIC, DEO PROPITIO, ANNUE CHRISMA MITTERE IN-  
DEFINENTER PROCURES; QUOD EST TOTIUS CHRISTIANITATIS SALUS,  
& PERFECTIONE VERA. NAM SI FORTE ALITER FECERIS, NOS EX APOSTO-  
LICA AUCTORITATE ALTERI EPISCOPO PRÆFATAM ECCLESIAM AD  
RESTAURANDUM, & CANONICE ORDINANDUM PROCUL DUBIO COM-  
MITTEMUS. DATA XIIII. KALENDAS DECEMBRIS.

EPISTOLA CCXXXIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD IOANNEM EPISCOPVM TICINENSEM.

PRÆCIPIT, VT ECCLESIAM IN CARPANA VILLA SITAM, QUAM PAU-  
LUS REGIENSIS EPISCOPUS REFICERE NEGLEXERAT, RESTIUAT,  
IBIQUE SACERDOTEM PROPRIUM CONSTITUAT, & SACRUM  
CHRISMA ANNUATIM MITTAT.

*Reuerendissimo & sanctissimo Ioanni episcopo Ticinensi, dilectoque  
confratri.*

**Q**VIA PAULUS REGIENSIS ECCLESIAE EPISCOPUS, & CANONICIS  
ADMONITUS INSTITUTIS, & NOSTRIS APOSTOLICIS PRÆCEPTIO-  
NIBUS EXHORTATUS, VT ECCLESIAM DEI POSITAM IN VILLA, QUÆ  
DICITUR CARPANA, IGNE CREMATAM RESTAURARE, IBIQUE SUUM,  
SECUNDUM IUS ECCLESIASTICUM, OMNE OFFICIUM, VEL MINI-  
STERIUM

sterium rite peragere debuisset, temere contempsit, nostræque salubri præceptioni obedire contempsit, nec debitum in hoc Deo nostro reddidisse videtur honorem. Præcipientes igitur ex apostolica auctoritate dilectioni tuæ iubemus, ut de præsenti, & absque omni protelatione ipsam ecclesiam restituas in pristinum decorem & ordinem, atque sub proprii cura sacerdotis eam constituas, qui sedulas ibi Domino laudes quotidie persoluat, ac pro salute fidelium omnipotentem Dominum valeat exorare, sacramque illic, Deo propitio, annue chrisma mittere indefinenter procures, quod est totius Christianitatis salus, & perfectio vera. Data vt supra.

## EPISTOLA CCXXXIV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD EGILBERTVM EPISCOPVM.

Arguit eum, quod cum excommunicatis a sede apostolica communicarit. iubet ne cum Liutfredo  
& Odebrico excommunicatis  
communicet.

*Reuerendissimo & sanctissimo Egilberto episcopo.*

**B**EATISSIMI apostoli præcepto iubemur deponere *Epheſ. 4.*  
terem hominem cum actibus suis, & induere nouum, qui secundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis: propter quod dilectionem tuam audientes cum eis, qui a sede apostolica, in qua beatorum Petri ac Pauli semper auctoritas viuit, pro suis manifestis sceleribus excommunicati merito existunt, contra ius ecclesiasticum ante audientiam, & veram in reddendo satisfactionem, communicare, non mediocri animi dolore turbati existimus; cum idem de talibus cauendis Doct̄or egregius dicat: *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, ut non commisceamini cum eo.* Hinc etiam & coapostolus eius Ioannes, huiusmodi nec Aue dicendum concedit: *Si quis, inquietus, venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in Domino, nec Aue ei dicite.* *Qui enim dixerit ei, Aue, communicat operibus illius malignis.* Item beatus Clemens Iacobō fratri Domini scribens, ita de se apostolum Petrum

*Concil. Tom. 24.*

M m